

# **Cartulaire de Marmoutier pour le Vendômois.**

## **Appendix, Lancé Nr. 67**

Ego frater G., Dei gratia Maioris Monasterii humilis minister, notum fieri volo presentibus et futuris quod assensu et voluntate fratrum capituli nostri, G. presbitero de Cuchere concessi medietariam nostram quam ibi habemus, cum grangia et decima et terra et ceteris ad eam pertinentibus, cum quadam porcione oblacionum quas in altario capiebamus, quandiu vixerit habendam et possidendum, ea condicione et pacto quod annuatim inde nobis tres modios partim avene et partim frumenti, dimissa et quitata mestiva, quam prius dabamus resignabit, duos etiam annuatim similiter reddet modios vini. Domus vero idem presbiter reedificabit, prout opus erit, et pecoribus et bobus et ceteris que medietaria solet et debet habere ipsam instaurabit, et modis quibus poterit meliorabit. De nemore autem nostro de Lanceio quantum predecessores sui medietarii solent habere, ad edificacionem domorum accipiet. Cumque, Deo disponente, predictus presbiter in fata decesserit, medietaria cum omnibus supradictis, sicut instructa fuerit et meliorata, quieta et immunis ad nos revertetur. Terminus autem solucionis frumenti ad festum Sancti Remigii, terminus vero solucionis vini tempore vendemiarum, et frumentum autem et vinum legitimum erit et avena similiter. Testes huius pactionis sunt: Willemus de Tarenchat – Magister Enardus – Willelmus tunc prior Lanceii – Willelmus capellanus de Nugario – Willelmus maior, et alii plures.